



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. V. De effectu pactorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

obligare censetur. Quòd si tamen renuntiatio paternæ v. g. hæreditatis cum juramento non facta fuisset absolute & simpliciter, sed in favorem v. g. fratrum consanguineorum, lateralium, &c. & horum nullus quando moritur pater, superesset, haberet suum regressum, non obstante tali renuntiatione, ad hæreditatem paternam, quæ taliter renuntiavit, cum renuntiationes tales explicandæ sint, ut quàm minimum præjudicent, aut lædant renuntiantes; & hinc non obstante tali renuntiatione, liberè Pater ei, quod vult legare potest, aut donare; & possunt etiam liberi ex filia, quæ renuntiavit hæreditati paternæ, vivente adhuc patre suo, mortuâ, avo huic suo materno jure proprio succedere, cui nunquam renuntiaverunt, quamvis non possint succedere avo huic suo, si vivente adhuc matre suâ mortuus ille fuisset, cum in hoc casu non alio jure quàm matris succederent, quod per renuntiationem à matre factam extinctum est. Quòd si tamen enormiter læsa fuisset per renuntiationem talem renuntians filia, eò quòd pro modica dote multò majori ultra dimidium hæreditati, præter opinionem suam, prout ex post facto colligit, renuntiaverit, posset petere relaxationem juramenti, & restitutionem in integrum, cum nec juramentum ad tantam læsionem obliget, neque intentionis illius fuisse, meritò cenferi debeat, tantam pativelle jacturam.

## §. V.

## De effectu pactorum.

Potissima quæstio est, utrum ex nudo pacto oriatur obligatio efficax, sive actio, id est, jus petendi in judicio, quod in pactum deductum est: quod enim ex tali nudo pacto in foro externo oriatur exceptio, quâ defendere se possit reus contra actoris petitionem, & alii quidam effectus, passim apud Theologos videri possunt: actionem verò sive jus petendi in judicio, quod in pactum deductum est, non concedere jus Civile, passim asseritur, ut ne nimium lites multiplicentur, cum magna Reipublicæ perturbatione. De jure verò Canonico, quòd ex pacto nudo acceptato oriatur actio efficax ad petendum in judicio, quod ex pacto debetur, probabilior sententia Theolog. & Canon. docet, & probatur ex c. 1. & 3. h. 2. ad cavenda multa pericula animarum, & earum salutem promovendam, nisi in causis merè Civilibus per denuntiationem Canonica satis caveri possit, & nullo modo intendat ex justitia se obligare paciscens; sed tantum ex fidelitate, neque ullam causam exprimat suæ promissionis. Servanda tamen hac in re est consuetudo, quæ etiam ex nudo pacto in foro externo concedit actionem.